Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 109
Quelle:
Copyright:

distinctus et optime servatus complectitur *Machabaeorum Librum I et II.* ex Interpretatione vulgata. *Librum* I. anteit Elenchus *Capitum* hac inscriptione miniata: ✠ *Incipiunt Capitula Libri Machabeorum.* Horum censentur LXI. hoc initio: I. *Ubi euersa hierusalem consenserunt iudaei edicto regis sacrificare idolis. II. Ubi lex dei exusta est iussu regis antiochi populo sacrificante idolis* &c. Atque haec 4. insumunt folia. Dein: *Incipit Liber Primus Machabeorum.* Decurrit hic absque notabili discrepantia ab Impressis hodiernis, habetque notata in margine non tantum LXI. illa Capitula seu *Lectiones*, sed etiam a manu paullo recentiore XVI. modernae distributionis Capita. Ad calcem litera quadr. ut in omnibus Titulis, legitur: *Explicit Machabeorum Lib. Primus*, et continuo: *Incip. Capitula Libri Secundi.* Sunt haec numero LV. et hoc initio. *I. Vbi occisus est antyochus rex in templo naneæ* (a) *sacerdotibus cum his qui secum erant. II. De igne sacrificii qui fuit absconditus in puteo* &c. Occupant paullo plus quam 2. folia, et mox: *Incipit Liber. Secundus. Machabeorum.* Eadem ratione, qua prior, nisi quod Capita distributionis modernae in margine non notentur. Speciminis ergo adscribam finem C. XII. qui *fol.* 96. p. 1. habetur: *et facta conlatione! XII milia. dragmas argenti. misit hierusolimam. offerri pro* peccato sacrificium. *bene et religiose de resurrectione cogitans.* oratione et oblatione pro defunctis; *nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret. superfluum uideretur. et uanum orare pro mortuis! et quia considerabat quod hii qui cum pietate dormitionem acceperant. obtimam haberent repositam gratiam; sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare! ut a peccato soluerentur;* In calce adjectum: *Explicit Liber Machabeorum. Deo Gratias.* Nullus ambigo, Libros hos olim ad integra Biblia pertinuisse, quae jactura sane dolenda intercidere.

XLIX. IX. H. 6.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 101. 8. minute sed eleganter per duas columnas exaratus, et quondam *Alamani Corraducii* Nepotis, ut videtur Viri docti *Rudolphi Corraducii* J. U. D. et sub *Rudolpho* II. Vicecancellarii Imperii, de cujus relicta Bibliotheca egit *Lambecius* noster *Comment.* L. I. p. 65. edit. *Kollar. col.* 136. continet *Novum Testamentum*, cui primo avulsum est initium usque ad verba *Matth.* C. II. v. 20. *vade in terram Israel;* dein pars Evangelii *Lucae* a C. X. v. 19 verbis: *et super omnem virtutem inimici*, cum toto *Johanne*, Epistola *Pauli ad Rom.* et initio I. *ad Cor.* usque ad verba C. IX. v. 2. *tamen vobis sum, nam signaculum apostolatus mei* &c. Libris singulis praefixa sunt nota Argumenta. *Actus Apostolorum* Epistolis *Paulinis* postponuntur. *Joh.* I. c. 5. adest quidem utrumque 776